



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

5 Confratria, an Collegium laicum, aut ecclesiasticum dici possit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

- 7 Concilium Provinciale, quare Archiepiscopum excommunicare possit.
- 8 Episcopus dispensandi facultate a Concilio sibi concessa cum sibi subditis tantum uti potest.
- 9 Episcopi contra Capitula procedere possunt, etiam extra visitationem servato moderamine, scilicet, adiungendo sibi duos Canonicos.
- 10 Episcopus legitime impeditus ad Concilium vocatus, quomodo se excuset.
- 11 Rectores nullius, ad Synodum compelli non possunt.
- 12 Prælati Regularis cum suo conventu dilationem ad profectendum dare potest.
- 13 Dispensat episcopus cum homicida voluntario quoad beneficium simplex, licet non quoad curatum, nisi iam obtentum.
- 14 Episcopus ex officio cogere potest beneficiarium ad exhibendum titulum.
- 15 Episcopus cogere potest decennalem, vel execrabilem ad iurandum se canonicè beneficia, & dispensationem obtulisse.
- 16 Vicarius episcopi facultatem absolvendi a reservatis alijs subdelegare potest.
- 17 Vicario parochiali vacanti quænam portio debeatur.
- 18 Edicta episcoporum quæ ad denunciandum obligant, de quibus intelligi debeant.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alijs 10 de clandest. desponsat.

- 1 Vicarius Episcopi, si Sacerdos non sit, Matrimonij interesse non potest, sed Sacerdotem delegare debet.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alijs 7.

- 2 Episcopus ex officio suo contra concubinos, & alios peccatores ad publicam vitiositatem, & animarum salutem, c. 1. de offic. ordin. non solum via denunciationis Evangelicæ, vel Canonice, cap. Nouis, de iud. sed etiam sine denunciatione per viam inquisitionis fama præcedente procedere potest, cap. Super his, cap. qualiter, & quando, 2. de accusat.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alijs 4.

- 3 Episcopus in quocunque loco suæ diocesis, non exempto pro tribunali sedere, & causas spirituales, criminales, & civiles, inter sibi subditos audire, & definire potest, cap. cum episcopus, de off. ordin. in 6. dummodo locus honestus sit, & litigatores sine magno incommodo eo loci venire possint. Et Archiepiscopus in quolibet loco suæ Diocesis Archiepiscopalis, cap. ut litigantes, tit. & lib. eod. delegatus etiam in qualibet parte suæ legationis, ex pedire non potest, quæ ad illam spectant, etiam negotia vnijs provinciarum in abs. suæ legationis, si ad multas missus sit, cap. Nouis, de off. delegat.

DECISIO IV.

Ex cons. 1. in vtrisque.

- 4 Cum consuetudo generalis ab omnibus seruanda sit, contra morem, dist. 100. & Episcopi ius clero suarum diocesum, immo & populo quoad negotia Ecclesiastica reddere teneantur, quod per semetipsos solos, quamvis plurimum valeant, satis bene facere non possunt: c. h. de off. Archiep. Episcopi omnes ad tribunale statarum, & vicarios generales statarios constitutos, per suos Archiepiscopos cogi possunt, & si ipsi illud facere noluerint, Archiepiscopi ipsos constituere possunt, ex ca. cum simus, q. 3. & c. in noua actione 16. q. 7. & ex Panor. recep. in 6. quoniam in plerisque, de off. ord. cum ius naturale, & ratio naturalis ex eo fluens dicitur, cum qui ad aliquid te-

netur, teneat etiam ad ea, sine quibus id satis bene fieri nequit.

DECISIO V.

Ex cons. 5. alijs 3. de foro compet.

- 5 Confratria sub Nomine Corporis Christi erecta, et quorum Confratres habitum distinctum gerunt, se paratimque a laicis cum Cruce in publicis processibus incedunt, Corpus, Collegium, seu Societas appellari potest, imo simpliciter Corpus laicum, & secundum quid, Ecclesiasticum est; & iudici seculari quoad bona temporalia quæ ipsi in sua congregatione habent; Episcopo autem quoad actus Ecclesiasticos, subijcitur, a quo, quoad actus religiosos, quos faciunt in locis, & modum, & ordinem incedendi in Processionibus, & comitandi Sacramentum Eucharistiæ, cum defertur ad infirmos, & in deferendo habitum; & alijs similibus, ad religiosos, & ad ecclesiasticum ordinem pertinentibus iudicari, & visitari possunt.

DECISIO VI.

Ex cons. 6. alijs 9.

- 6 Episcopus iusta de causa cum consensu patroni facere potest, ut aliquod beneficium simplex, siue Capellania perpetua in qua ad præsentationem eius instituitur Capellanus, & Rector perpetuus, fiat temporaria, & ad notum amonibilis; cum Episcopus beneficia inferiora episcopatus sui, venire, diuidere, de nouo creare, & extinguere possit. Sicut vniere de excess. præl. c. 1. de reb. eccl. non alien. in 6. & Clemen. 2. eo, tit. & c. 2. c. cum accepissent, de constit.

DECISIO VII.

Ex cons. 7. alijs 7. alijs 6. de Maior. & obed.

- 7 Concilium Provinciale singulos Episcopos, qui constituunt Concilium corrigere, & si opus fuerit, excommunicare potest, & pariter ipsam Archiepiscopum, cum & ipse etiam sit vnus de singulis constituentibus Concilium; quamuis enim Archiepiscopus sit caput Concilij ad hunc effectum, quod ad eum pertinet vocatio, & congregatio eius, & quod hoc quoad habere debeat primam sedem, ut habet Decanus, vel Canonicus senior in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis: non tamen quoad hoc, ut sit superior eius, vel maior eo iam congregatio, neque quod habeat eandem iurisdictionem, quam habet illud; sed solum est coniudex, & collega aliorum Episcoporum, & ab eo ad Concilium ipsum Provinciale appellari potest, ita Card. & alij, in Cle. 1. de sent. excom. Vnde sicut Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, singulos de Capitulo, etiam Decanum vel Præpositum ipsius Capituli, corrigere potest: ita etiam & Concilium Provinciale singulos Episcopos Concilij, & ipsum etiam Archiepiscopum corrigere valet.

DECISIO VIII.

Ex cons. 8. alijs 3. de pœnit. & remis.

- 8 Episcopus dispensandi facultate a Concilio Tridentino scilicet, 24. c. 6. de ref. sibi concessa, cum sibi subditis tantum, & non cum exemptis suæ diocesis, aut extraneis aliarum, uti potest: cum verba dispositionis Concilij eis non conueniant, vnde nec ipsa dispositio, ca. Indemnitatibus, §. pen. de elect. in 6.

DECISIO IX.

Ex cons. 9. alijs 3.

- 9 Quamuis in antiquo sine consilio Capituli Episcopus neque conferre, neque confirmare, neque statueret, neque corrigere possit. Quanto, cap. ea nescitur, de his, quæ fiunt a prælat. sine consen. c. post Concilium tamen Tridentinum scilicet, 25. c. 5. de ref. in omnibus Cathedralibus, vel Collegiatis ecclesijs exemptis, & non exemptis in quibus ante Concilium ius non quæsierunt: Episcopi ad ius electis sibi duobus Canonicis ex Capitulo in principio anni electis, ut præscribit Concil. Trid. scilicet, 6. c. 4. de ref. extra visitationem ex officio, vel ad instantiam dantis contra aliquem Capitularem procedere.

C DE.